

*Q. B. V.*

*II*

DISSERTATIO GRADUALIS  
DE

HYPOTHESESIBUS  
PHILOSOPHICIS

QUAM

*Ex suffrag. Ampliss. Facult. Philos. in Regia ad Au-  
ram Academia,*

PRÆSIDE,

MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO VIRO,

Dn. Doct. CAROLO  
MESTERTON,

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ord.

*Publicæ bonorum disquisitioni modeste subjicit*

ANDREAS AGRICOLA

TAVASTENSIS.

In Audit. Minori die XIII Jul. Anni MDCCLVII.

H. A. M. S.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland, JACOB MERCKELL.

S:æ. R:æ. M:tis  
MAGNAE FIDEI VIRO

*Generosissimo atque Nobilissimo*

DN. JOHANNI  
LOSTIERNA,

Supremi, quod in Magno Ducatu Fin-  
tandiæ est, Regis Regnique Dicasterii, Consili-  
ario consultissimo, gravissimo.

*Mæcenati MAGNO & NUTRITIO Propensissimo.*

**Q**uadriennium jam est & quod excurrit. *Mæcenas Magne*, ex quo Tibi primum innotui, atque ob charissimum Tuum & optimæ spei filium literarum studiis imbuendum exornandumque, in honestissima Tua Domo versari mihi licuit. De qua singulari & nunquam satis deprædicanda felicitate, tanto impensis mihi in sinu jam gratulor, quanto largiorem Tuam gratiam per omnem illum temporis tractum expertus sum.

Quin immo eo lætius contigit eadem felicitate frui, quo luculentiora sunt omnium virtutum, quæ in Te prospiciuntur, ornamenta, quoque eximior est frontis illa hilaritas, qua omnes excipere semper soles, ita tamen, ut nihil gravitati Tuæ hilaritas, nihil dignitati humanitas detrahat. Ve-  
rum

rum quemadmodum *Virtutis Tuæ* gloria omnem  
meam dicendi facultatem superat; ita tot tanta-  
que extant favoris Tui plane Paterni in me do-  
cumenta, ut eadem verbis digne amplecti nequeam.

Ut tamen pro hisce Tuis in me meritis Pa-  
trone Indulgentissime, absque omni quidem ver-  
borum adparatu, intentiori tamen animi affectu,  
publice pietatem & venerationem testarer, exiles  
has cogitatiunculas nullo licet elegantioris litera-  
turæ sale conditas, *Nomini Tuo* splendidissimo con-  
seccare par omnino erat. Pro comitate igitur Tua  
incomparabili, *PATRONE OPTIME*, serena fronte su-  
scipias, quod vehementer contendo, præsens hoc do-  
num chartaceum. Quod si feceris, grande mihi il-  
lud erit solamen, quia sic antiquis Temet nova  
addere beneficia, summa cum voluptate, cognosco.  
Ea vero omnia ego piis votis compensabo hisque  
Tuam incolumitatem DEo commendabo, ut in  
multam annorum seriem superstes charissimæ Patriæ  
& præcipue sanctæ Themidis usibus velificeris,  
Nobilissimæ Familiæ Tuæ desideria impleas, atque  
ex ea gaudia capias diu perennatura,

## GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

*cliens devotissimus*

ANDREAS AGRICOLA.

S:ræ. R:æ. M:tis

MAGNAE FIDEI VIRO

*Generofifimo atque Nobiliffimo*

D<sub>N.</sub> CAROLO  
TERSMEDEN,

Commendatori Capitaneo ad Clafsem Regi-  
am maxime INCLYTO

MAECENATI MAGNO,

**N**ihil erat frequentius prisci ævi incolis, quam  
bella commemorare, affectusque belligerant-  
um etiam vehementiores laudare. Nostra vero æ-  
tate postquam hominibus, qui quietiorem vitam  
amant, terram arare, annum exspectare, facilis  
persvaderi cœpit, quam, quod olim in maxima  
honoris parte ponebatur, hostem provocare, in-  
clyta quoque elogia magis iis rebus adjici viden-  
tur, quæ diligentiam œconomicam concernunt,  
quam illis, quarum glomerata laus consistit in spo-  
liis ex bello portandis. Estque omnino humanæ  
naturæ non convenientius modo, verum toti ge-  
neri

ANDREAS AGRICOLA

neri humano esset etiam utilius, si ea, quibus cardinem promovendæ suæ felicitatis verti norunt homines, sudore potius, quam sanguine parare vellent. Sed potuit neque dies, neque tempus illum hominum ardorem mitigare, quo quidam intempestive capti, gloriosum esse putant, in castris æstatem consumere & armis senescere; quod immane bellicum studium quo plures olim habuit & etiamnum habere potest sectatores, eo majori motu, mare terramque omnem cieri, temporum annales testantur.

Proinde sic saepius accidit hostilibus motibus quassari rempublicam, quibus ut subducatur, si valde necessarium sit, quemadmodum est quam maxime, tam vulnera mereri, quam vitæ quoque periculo nosmet subijci, quid impediet, quominus salva œconomia gloria, moderno tempori æque conveniat belli laudes canere, ac antiquo fortassis ævo, licuerit, sine omni vituperio, artes deprædicari pacis, præcipue quum ut olim non indignum fuerit, e medio pacis sibi de rebus necessariis prospicere; ita nemo nostrum hodie ingloriosum putet in bello, spoliis hostium ditescere. Optima namque est genuini rei militaris, cum pacis artibus consensio. Qui igitur utroque hoc modo reipublicæ profunt, eo majorem merentur laudem, quo latius eorum se extendit opera; Non jam *Mecenas*, remota sed ea loquor, quæ ad Tuas virtutes proprius accedunt. Sic enim in Te primum eluet cura & perititia

ritia rei militaris præcipue navalis, ut ad illam  
virtutem natus videaris; Deinde earum etiam vir-  
tutum splendore, quæ studia pacis spectant, Cele-  
britas Nominis Tui non parum augetur, quia il-  
larum ope virtutum, laudabili omnino modo, com-  
modis patriæ velificaris, idque tanto magis, quanto  
certius constat, in bonarum literarum artibus amo-  
rem Tuum totum vivere & spirare. Quæ omnia  
diu mecum repetens, non potui non præsentem  
ingenii mei tenuem foetum Tuæ, *Mæcenas Optime,*  
Amplitudini nuncupare, ut Celebritate Nominis Tui  
muniretur & Commendaretur. Quam ob rem ne  
mihi succenseas, sed ut in mitiorem interpreteris par-  
tem, innocuum conamen, humillimus oro & obtestor.  
Quo ipso quoniam publica quoque testificatio fieri  
debuit venerationis meæ, ob beneficia Tua in Do-  
mum parentis collata, vehementer simuli contendeo, ne  
dedigneris, *Mæcenas Gratiouse*, exile munus, neque æ-  
stimatione, sed donantis affectu liberalitatem metia-  
ris. De cetero, conservet Te, *Mæcenas*, supremum  
Numen diu incolumen in Patriæ commodum, rei-  
que militaris emolumentum, certissimum, atque Fa-  
miliæ Nobilissimæ fulcrum tutissimum.

## GENEROSSISSI NOMINIS TUI

*cliens devotissimus*  
ANDREAS AGRICOLA.

*Viro Admodum Reverendo atque Praeclarissimo  
D:no NICOLAO MALM,  
Pastori & Præposito In Achas longe Meritissimo.  
Avunculo Optimo.*

*Viro plurimum Reverendo atque Praeclarissimo  
D:no JACOBO MALM,  
Pastori Ecclesiarum, quæ DEo in Wichtis & Pyhæ-  
jærfvi colliguntur Meritissimo, Avunculo Dignissimo.*

*Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo  
D:no ELIAE CAJANDER,  
Pastori Ecclesiæ Esboensis Laudatissimo.*

*Viro Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo  
D:no Mag. CHRISTIANO LIMNELL,  
Pastori in Kyrckslætt Vigilantissimo.*

**P**atronis. Fautoribus. Suis. Singulis.  
Jugiter. Colendis. Suspiciendis.  
Hocce,  
Ob. Innumera. Beneficia.  
In. Se. Collata. Pergrati. Animi.  
Monumentum.  
Cum. Voto.  
Pro.  
Perrenni. Felicitatis. Flore.  
Consecrare. Voluit. Debuitque.  
**NOMINUM VESTRORUM**

*cultor humillimus*

*REINH. AGRICOLA. ANDREAS AGRICOLA.*

# Herr CANDIDAT.


**E**t är en evig och grundfast sanning, at den icke Skaparen har önskat nat och förordnat alla ting til sina wijsa och wijsa åndamål, hvilka at utleta vår eftertanka flit och Bokwert bör gå ut på, at vi derigenom, hwad efter mennislig förmåga är möjligit, lära känna tingen i sig siflswa och efter deras art och natur, betjena os af dem til det högsta åndamål, som är Skaparens åra. Men det är beklageligt, at så är os upmärksamma til alt detta; fördensfull, som många mennischor bewekas af ganska olika grunder, til et och och samma gjöremål; så blifwa os gjöremålen i sig siflswa alt för olika, och gransningen af sakerna fortsättes, icke heller af alla, efter sakernas natur och lynne: och följachteligen ärnäs icke heller, hwad Skaparen påhystat. Men de, som hålla sig innom de rår, som i nataren är för os utstakade; och taga beweckningsgrunder, til sit gjöremål, af det åndamål, som vii ärv skapade före, de ärv aldrig förvetne, at mera det, som sit dem är, och bliit förborgadt; icke heller försommelige at i achttaga, hwad de böra lära; således träffa de egentligast rätta åndamålet. Och när de dersjänta weta, at flit och dygd icke blifwa obelönte; så saknas ej härlig upmuntran för dem, såsom idkare af nyttiga wetenkaper: Alla förmögenhets gäfvor, som Skaparen midlagt i mennisjhans natur, at lära något, utbrista då hos dem i wärklig åtgård, ja, så at vår myskenhet, prat och glam, händedes af de samma, til det åndamål, såsom det rätta, at lära hwad nyttigt och gagneligt är.

Förlät mig, Herr Candidat, at jag här några ord uprepas af de läror I mig gifvit wid själpandet af min eftertanka, i Bokvet och wid upeländet til dygd min hog. Det är ju det, som äfven gifwer mig anledning at omorda, hurn I med wacker flit väl anlagt Eder tid, samt hurn Eder dygd altid upmuntrat Eder, at fara fort i Edert förehafswande. En kär skyldighet påminner mig dersföre, at lyckönska Eder til den heldning, som en grönstaude lager med sig förer; Fölgderna deraf ware ömniaigt nöjdighete! Edra dagar blifwe monga och falle, förfustige udjen tryte Eder aldrig och välsinnes dinsamme Eder altid på Edra vägar! under hvilken önskan jag ständigt lefver


# Herr CANDIDATENS

Trogne wän och Tjenare

JOH. REINH. LOSTIERNNA.



§. I.



On hodie aut nūdius tertius, sed ab prisco inde tempore Philosophis usui venit, uti assuntis, quæ hypotheses vocamus, instar principiorum, quibus rerum semet latētium rationes commodius reddere constituerunt. Quo accedit intimior illa ratio P̄ychologica, qua, quoniam ob hanc nobis admodum profunde natura insitum est semper velle causas rerum indagare, homines simul impulsi videntur potius ex insufficientibus rationibns quandoque ad philosophandum, quam totius plane rei inquisitioni supercedendum. Hinc testatur Cudvorthus, antiquiores jam Philosophos, spiritibus omnibus finitis corpus conjunctum statuisse, quo per hanc hypothesin præmiorum & pœnarum redderent rationem, quibus spirituum sensus adficerentur. Quam sententiam

A

recen-

recentiorum nonnulli, patrum quoque auctoritate adjuti, variis argumentis corroborare tentarunt, Atque sic pluribus antiquis aliis, vel novæ adjectæ sunt hypotheses, vel aliæ de novo excogitatæ, vel priscæ magis emendatæ & perpolitæ. Tamdiu certe conatus hic non erit culpandus, quamdiu justis suis limitibus ita coeretur, ut per crebriorem hypothesis usum, incrementis scientiarum nihil dedecat, sed plurimæ his indies accessiones fiant.

## §. II.

**Q**uodsi ultra illam sphærami modo (§. præc.) indicatam extendantur hypotheses, tolerari non debent, quin etiam reiici, dum insuper bonis moribus & religioni adversentur. Quorsum refero præter veterum Cosmogonias, illud recentiorum quorundam monstrorum assumptum, quo tam montium quam animalium in aquis natorum genesis explicare conati sunt. Quo neque melioris notæ est impia antiquorum suppositio duorum principiorum unus boni, alterius mali, in favorem explicandi mali originem insulse formata. Ut jam taceam alias fucatas & vanas hypotheses, ex quibus quantum damni ceperit res literaria, vix dici potest. **H**ejusmodi tamen abusus minime tollere debet usum hypothesis, quem valde interdum necessarium ipsa cognoscendorum natura facit; I:mo. ob defectum sc̄pius in nobis perspicientiæ nexus inter res earumque relationes

tiones & nostras cogitationes ita intercedentes, ut rem absque formidine oppositi concipere non possumus. 2:do Ob ignorantiam principiorum universalium, quibus quis opus habet, ut quæ per illa determinantur inde colligat. 3:to. Ob incompletas, quas subinde colligimus observationes, quibus ceu incompletis quæsitum certo & tuto non invenitur, licet ob crebriorem, nec tamen constantem experientiam, per notionem subjecti confusam, prædicatum quadantenus & fere determinetur. In his, inquam, casibus, aliisque iis simillimis, ubi vel nihil, quod supra conditionem humanam positum est proterve sapere, vel hypothesibus, non tanquam otiosis, sed humano generi utilibus speculationibus indulgere velimus, possunt illæ sine vitio in subsidium rei cognoscendæ adhiberi.

### §. III.

**S**ed ut illustriori in loco a nobis ponatur indoles Hypothesum, paulo altius repetenda, quæ de iis dicere cœpimus. Est igitur hypothesis philosophica, nihil aliud, quam ejusmodi propositio, quæ demonstrari nondum potest, at tamen pro vera ideo assumitur, quia rationes alicujus rei ejusque phœnomenorum ex ea reddi possunt. Sic quando commercii, quod animam inter & corpus est, rationem reddimus, ex vera actione animæ in fluidum cerebri nerveum & per hoc in reliquum corpus, atque

vicissim fluidi nervei actione in animam, dicitur illa hypothesis causalitatis, vel vulgo vocati, influxus physici.

### §. IV.

**I**Am quoniam per hypothesis ratio reddenda illius rei ejusque phœnomenorum, ob quæ explicanda hypothesis assumitur (præc. §.) phœnomena vero naturæ, prout ceteræ res finitæ, quæ existunt, actualitatem suam sub certis circumstantiis obtinent, patet hypothesis, si cum ipsis phœnomenis explicandis consentiat, in iisdem circumstantiis, fundatam esse debere: Adeo ut quemadmodum multa præterea sunt possibilia, quæ non existunt; ita, quo realitas hypotheses simul evincatur, probandum sit ab ipsis, qui hypothesis philosophicam formant, eam non modo in se non esse impossibilem, verum etiam habere suam possibilitatem hypotheticam, id est, ipsa natura seu fundamento suo superstrui, Plerasque, quas vides hypotheses physicorum, mireris ultra possibilitatem absolutam, vix ascendere. Et hinc scepis fit, ut ejusmodi artifices hypothesis, naturam pro arbitrio suo fingant eamque non, prout a DEo constituta est, rimentur. Geometris quidem sufficit, quod ingenue fateor, assumere hypothesis, quæ præ se non a iud fert, quam absentiam absolutæ impossibilitatis; quia veritates Geometricæ & Arithmeticæ sunt generaliores, quam ut intra hypotheses naturæ continantur.

antur; philosophis vero, ceu naturæ indagatoribus, quibus imprimis curæ cordique esse debet, inquisitio veritatis in rebus existentibus obviæ, ad specia- liora magis descendendum atque hinc ex dictis simul evincimus, posse nimirum illud, quod Mathe- maticæ sumtum, pro verissimo habetur, in supposi- tione physica fallum esse. Sic recte quidem antiqui- ores Mathematici demonstrarunt focum in speculo sphærico distare dimidia diametri suæ concavitatis parte; recentiores vero attentius naturam respicien- tes probarunt prædictum focum  $\frac{1}{4}$  parte sui dia- tri constare.

## §. V.

**H**ypothesis est propositio nondum demonstrata (§. 3.) ergo insufficienter probata, ejusmodi vero propositio dicitur opinio, ergo hypothesis inter opiniones numeranda. Ex his qui jam de fatis hypothesium quid statuere velit, facile dijudicare potest, cur quæ uno tempore adoptatur & defenditur hy- pothesis, alio tempore reiiciatur; sed non est, ut iis exponendis immoremur, id potius observaturi, quod quemadmodum opinio est vel probabilis, vel im- probabilis vel falsa; Ita eandem divisionis fortè cum opinionibus hypotheses patiantur.

**R**EQUISITA veritatis dicuntur, quæ rationem cur alterum de altero dicatur, continent. Ex omnibus simul sumtis veritatis requisitis patet ratio sufficiens; ex quibusdam insufficiens ejus rei, quam contemplamur. Hypothesis philosophica in natura debet fundari (§. 4.), ergo phœnomena naturæ simul sumta, ob quæ explicanda hypothesis conditur, omnia simul ad veritatem illius requisita & per consequens rationem ejusdem sufficientem tenent. Phœnomenorum in quorum gratiam hypothesis formatur, plurium cum hac consensus, reddit eam probabilem; si vero plura adsint, quorum ratio ex hypothesis non patet, quam quorum in promptu est, hypothesis vocatur improbabilis, utpote tum, cum quædam phœnomena, cum ipsa repugnant, pro falsa habetur. Sic si jam ac casus adplicantur specialiores hæc generaliter dicta, bonitati hypothesis quodammodo dijudicandæ inserviunt. Volupe nobis jam esset per singula capita systematum imprimis psychologicorum ire atque per pensis rite ubique singulis momentis indicare, quodnam horum magis vel minus probabile, quodnam vero falso estimari debeat. Sed quoniam hoc opus vires nostras & molem disputationis longe superat, sagacitati B. L. id per agendum relinquimus remittendo intera ipsum ad consulendum de hac re Bulfingerum, Hollmannum, Foucherium, Bailium, Lamium aliasque immos obliteraum

terarum gloriam viros, qui lite ultro citroque mota, neque industriam neque ingenium desiderari possunt quantum fieri potuit in explicanda alias hac abstrusa de prædictis systematibus doctrina.

### §. VII.

**O**peræ proinde esset pretium, ut quam primum nova vel conditur hypothesis, vel antiqua ventilatur, viri eruditæ scrutinium hujus rite instituerent. Plus certe hoc reipublicæ literariæ prodesset, quam dum re non perpensa, hypotheses mox consequentiis ab invidia ductis, quemadmodum scripta docent eristica, onerantur. Nisi igitur me omnia fallant, maximum id puto vehere momentum in examinandis hyothesibus, ut 1) pervideatur qualis ejusdem cum phœnomenis & observationibus consensio, quot nimirum hic adfint requisita veritatis, quot defint; 2) ut de majori majorique hypotheseos probabilitate convincamur, etiam si ita videtur gradus (\*) probabilitatis determinantur, designando discriminem, quod inter absentia & præsentia requisita ponderosiora intercedit. 3) Si qui admissus fuerit in hypothesi error mox emendetur & ad id attendatur sedulo, quodnam illud sit, quod ex data hypothesi legitima consequentia fluat. Atque sic nullum dubium, quin beneficio hypotheseos aditus pateat ad intiorem naturæ cognitionem. Quam enim indefessam &

Hercu-

Herculeam collocarunt operam Mathematici, in exornanda hypothesi Copernici, constat minime fuisse frustraneam, quoniam, ex illa omnes fere corporum cœlestium motus rite explicant.

---

(\*) Solent alias Mathematici probabilitatem ad calculum revocare, simulque certitudinem instar totius, probabilitatem vero ex partibus certitudinem determinantibus concipere, adeo ut ratio probabilitatis ad certitudinem se habeat ut pars ad totum. Operandum omnino, ut hec ars magis exculta esset, quum sic actiones etiam calculo estimari possent, & cuivis simul pateret, quid satius, quid tertiis foret, in re ambigua agere & cogitare. Specimina bujus rei ediderunt Bernoulli atque Monmort, sed regulæ, quas de hac re tradidérunt, non sunt adeo universales, ut pluribus scientiis vel usibus vita communis applicari possint; quod tamen, si aliquando contingat ponи banc theoriam probabilitatum in illiusviori loco, quam quo hodie conspicitur; amplio certe & magno lucro non possunt non, tam scientie, quam res politica atque economica autari.

### VIII.

**Q**uoniam, ut supra observavimus, hypothesis omnis est incerta, ea vero, quae ut dogmata in disciplinis traduntur, ex indubitatis principiis deduci debent, haud difficili opera patet, hypothesis ingredi non debere demonstrationem dogmatum, quippe ex incerto principio non potest non incerta fieri

con-

conclusio. Hinc iusisse potius, quam rem serio e-  
gisse, putandus erit Sturmius, dum existentiam di-  
vinam ex hypothesi systematis assistentiæ demon-  
strandam in se susceperebat: Non tamen negandum,  
quin multa ex hypothesi elici & derivari possint,  
quæ postquam veritas ejus in aprico fuerit posita,  
suo neque usu, neque utilitate carere possunt. Quo  
magis præterea ex voto procedunt praxes, quæ ex  
hypothesi quadam deducuntur, eo majorem quo-  
que esse naturæ cum ea confessionem patet. Pro-  
inde nihil ad usum quidquam expectandum ab il-  
la hypothesi, quæ a natura est aliena; Qui deni-  
que novit hypothesin practice ita ut eam applica-  
re valeat, is satis superque de ejus probabilitate  
judicare poterit. Ubi tamen notes, nullam praxi-  
fieri debere vel in medicina vel in morali ab hy-  
pothesibus dependentem.

## §. IX.

**M**onuimus (§. 2.) abstinentium esse ab hypo-  
thesibus a religioe & pietate alienis, aliisque  
ejusmodi figmentis, quæ quo altiores in animis  
radices agere cœperunt, eo longius ceu infelia  
lolia per morum doctrinam & campum scientiæ  
serpunt. Jam vero notamus, si vel maxime acci-  
dat hypothesin esse erroneam, nihil tamen inde  
ipsis rebus, quæ per hypothesin explicantur, de-  
cedere. Nam ipsæ propositiones per experientiam  
notæ, manent nihilominus veræ, quamvis ratio-  
nes, quibus nos eas probamus & demonstrationes,

quas illis adjungimus, a vero aberrent. Possunt affectiones etiam nonentis geometrice demonstrari. Facit demonstratio officium suum æque in fragmentis, ac vera hypothesi. Res ipsæ sive tum fuerint indubia experientiæ, sive opiniones, suam non mutant indolem. Annitimus per hypotheses dare rationem rei ejusque phænomenorum adeoque fieri potest, ut vel in veram caussam incidamus, vel eandem spuriam amplectamur, quod utrum horum contigerit, facta collatione hypotheseos cum observationibus demum manifestum evadit. Adeoque cum sic neq; in esse neq; in fieri, ipsa phænomena naturæ ab ea caussa dependeant, quam nos illis adjudicamus, nihil quoque periculi metuendum est ipsis rebus s. phænomenis imminere, si vel maxime vacillaret hypothesis. Nam quis unquam adimi, hominibus potentiam & facultatem ambulandi eam ob caussam dixerit, licet a quodam homine per falsam hypothesis ratio non genuina incessus traderetur. Similis est ratio cæterarum hypothesis. Sed his jam discutiendis ob augustinam tam temporis, quam typi supersedemus atque tvo B. L. freti favore speramus, velis ea, quæ tumultuario modo a nobis dicta sunt in meliorem inter- pretari partem.